

eum moderamine inculpatæ tutelæ: ergo talis occisio aggressoris est voluntaria saltem aliquo modo.

XXII. Ad hoc argumentum respondetur, quod si teneamus, quod occisio aggressoris, quamvis non sit voluntaria moraliter, est tamen voluntaria physice, facilis est solutio dicendo, quod ratione hujus homicidii talis occisio dicitur homicidium voluntarium in jure, et secundum antiquum jus inducebat irregularitatem. Si vero teneamus talem occisionem aggressoris nullo modo esse voluntariam se defendenti, nec moraliter nec physice, tunc dicimus in jure appellari homicidium voluntarium secundum præsumptionem, quia etiamsi fiat a parte rei cum moderamine inculpatæ tutelæ, et se defendens non intendat occisionem aggressoris, adhuc tamen præsumitur quod occisio illa sit aliquo modo intenta, et quod non fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, nam certe sæpe ita potest contingere, et ideo antiqua jura imponebant irregularitatem. De quo tamen amplius dicendum erit articulo octavo sequenti, agentes de irregularitate.

ARTICULUS V.

An propter defensionem honoris, aut bonorum temporalium possit quis licite occidere aggressorem?

I. Ratio dubitandi a parte negativa est, quia honor, aut bona temporalia sunt longe inferioris ordinis quam vita proximi; ergo cum tam gravi nocumento proximi, in vita sua non potest quis defendere bona temporalia sua, sive honorem suum. Circa hanc difficultatem Salon in

præsenti refert Abulensem, et alios auctores, qui tenent partem negativam hujus dubii. Quorum potissimum fundamentum est testimonium D. Augustini relatum a D. Thoma in argumento secundo hujus articuli. Et similiter aliqua decreta, quæ habentur in jure, in quibus videtur hoc damnari. Cæterum hoc fundamentum est parvi momenti. Nam testimonium D. Augustini explicat D. Thomas, ita ut loquatur de eo, qui livore vindictæ, aut ex intentione occidit aggressorem. Decreta autem quæ in jure habentur solum imponunt irregularitatem, non tamquam pœnam peccati, sed tamquam impedimentum canonicum propter significationem. Et si aliquando jura hoc damnant peccatum, ideo est, quia talis occisio aggressoris præsumitur non fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut in simili casu diximus in solutione ad tertium præcedentis dubii.

II. Quare opposita sententia affirmativa est communis inter theologos, videlicet licitum esse cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere aggressorem in defensionem proprii honoris, et bonorum temporalium, et ideo hanc sententiam sequentibus conclusionibus explicabimus.

III. Dico igitur primo: In defensionem honorum temporalium, quando illa sunt magni momenti, licitum est aggressorem occidere; si vero sunt parvi momenti, nullatenus erit licitum illa defendere cum occisione aggressoris. Prima pars hujus conclusionis intelligenda est cum eisdem omnibus conditionibus, et circumstantiis, quibus supra diximus licitam esse defensionem propriæ vitæ, etiam cum occisione aggressoris. Hæc igitur conclusio quoad utramque partem constat satis ex dictis circa solutionem ad secundum præcedentis dubii.

IV. Dubitabis tamen circa hanc

conclusionem, an bona temporalia consideranda sint esse magni aut parvi momenti absolute in se ipsis; an vero respective, videlicet respectu ejus qui illa defendit, sive a quo auferuntur. Ad hoc respondetur, quod respective censenda sunt esse magni, aut parvi momenti; et similiter etiam absolute in se ipsis. Et quidem quod absolute si magni momenti censeantur possunt juste defendi, etiam si illa respective considerata non inferant gravissimum nocumentum ei a quo auferuntur, certissimum est ex jam dictis. Quod autem etiam si absolute sint magni momenti, sed solum respective, videlicet, quia si illa auferantur quamvis sint minima in se, inferunt tamen gravissimum nocumentum a quo auferuntur, probatur posse tunc defendi cum occisione aggressoris, quia magis necessaria sunt illa ad vitæ sustentationem ejus a quo auferuntur, quam si in magna quantitate auferrentur ab homine prædivite: sed quando sunt in magna quantitate potest dives illa defendere cum occisione aggressoris, præsertim quando inferunt magnum nocumentum; ergo homo pauper poterit cum occisione aggressoris defendere bona temporalia, quæ si absolute non sint magni momenti, sunt tamen respective.

V. Dico secundo: In defensione honoris, qui censetur esse magni momenti potest quis aggressorem occidere, non tamen si sit parvi momenti. Hæc conclusio potius indiget explicatione, quam probatione. Nam eisdem prorsus rationibus probari debet, quibus in solutione ad secundum præcedentis dubii probavimus tertium et quartum dictum.

VI. Explicatur igitur conclusio quoad priorem partem, nam si aliquis invadatur ab ipso qui vult ipsum occidere, a quo tamen vitam defendere potest per fugam, amittit

tamen magnum honorem in tali fuga, tunc jam non in defensionem vitæ, quam per fugam defendere poterat; sed in defensionem honoris, quem amittere posset si fugeret, licitum est ei ut non amittat istum honorem invasorem occidere. Si tamen non amittat magnum honorem, sed honorem qui parvi momenti censetur, vel quia invaditur in occulto, ubi etiam si fugiat a nemine videri possit; vel quia si invadatur in loco publico, et communi, ubi a pluribus videre possit, invaditur tamen a pluribus aggressoribus, quos fugere potest sine amissione magni honoris; vel si aggressus sit talis homo, ut quamvis invadatur ab uno solo fugiendo ipsum non amittat magnum honorem, tunc non poterit in defensionem honoris qui parvi momenti censetur, aggressores vel aggressorem occidere.

VII. Et si objicias: Nam ex prima parte hujus conclusionis sequitur licitum esse sibi in defensionem honoris occidere illum, qui verbis contumeliosis te afficit, quibus perdis magnum honorem, nec aliter poteris recuperare illum nisi occidendo aggressorem, quia iste non alio modo cessabit ab illis verbis nisi occidatur, consequens autem videtur nimis durum; ergo, etc. Ad hanc objectionem Navarrus ut refert Lessius lib. II, cap. IX, dubitatione XII, numero LXXVIII concedit sequelam, sed tamen probabilius est oppositum, ut ibi censet Lessius. Et ratio hujus est, quia ad recuperandum honorem in isto casu sufficiunt moraliter loquendo verba aggressi, quibus ostendat aggressorem mentiri, seu falsum dicere.

VIII. Sed dubitas insuper circa hanc conclusionem, an propter defensionem honoris provocatus ad singulare certamen possit illud acceptare, si quidem si non acceptet amittit magnum honorem, et talis

acceptatio solum est medium ad defensionem honoris. Partem affirmativam hujus tenet Lessius dubitatione VIII, num. XLVII, et præsertim LXIX; sed tamen ulterius dubitatione XII, num. LXXXIII, tenet partem negativam. In præsentibus igitur dubio, non disputamus quale peccatum sit duellum, et provocatio ad illud, seu acceptatio. De his enim legatur Salon 2-2, quæst. LXII, art. II, controversia XI, et quæst. LXIV, artic. III, controversia III, et potissime Concilium Tridentinum sess. XXV, cap. XIX. Dico igitur ad dubium, quod nullo modo licitum est in isto casu acceptatio singularis certaminis, nec illa habet rationem defensionis honoris, sed potius aggressionis. Et ratio hujus est, quia ille qui ad singulare certamen sic provocatur, potest sufficienter honorem suum defendere sine tali acceptatione, dicendo se nolle acceptare illud eo quod sit divina lege prohibitum, et indignum christiano viro, esse tamen paratum ad defensionem suæ vitæ, et honoris ubicumque invadatur.

IX. Sed inquiris rursus, an si quis dicat alicui: Egrediamur extra civitatem, habeo enim ibi aliquid tibi dicere in occulto, ita quod ille audiens censeat per hæc verba virtualiter provocari ad singulare certamen, an tunc possit ille extra civitatem exire hoc prætextu præcise ut audiat verba illa, quæ in occulto permittuntur dicenda.

X. Ad hoc dubium nonnulli censent veram partem affirmativam, quia iste non acceptat duellum, sed intendit solum audire verba illa, quæ si nolit sic audire veniet in vilipendium. Nihilominus tamen dicendum est illum non posse etiam hoc prætextu extra civitatem exire cum altero, quia tunc prævidens, et timens futurum eventum duelli virtualiter vult illud, et ex alia parte

est res parvi momenti nolle ire ad audienda illa verba. Ex dictis in prima parte hujus conclusionis sequitur licitum esse in defensionem pudicitiae occidere aggressorem, ut optime probat Lessius dubitatione XII, numero LXXVI, et legatur dubio XI.

XI. Dico tertio: Monachus, aut clericus in defensionem honoris quando per fugam potest se defendere, non poterit occidere aggressorem, imo nec in defensionem vitæ propriæ. Probat ista conclusio, quia isti non amittunt honorem fugiendo, ac subinde semper quod fugere possunt tenentur fugam arripere ad se defendendum sine occasione aggressoris. Et si inquiras, an aliquando sit eis licitum fugere cum interitu alicujus innocentis opponentis se fugæ illorum, verbi gratia, si in via publica sint parvuli innocentes, et non possit clericus fugere nisi pessumdet ipsos, et maxime si insideat equo, respondetur quod si aliter non potest fugam capere nisi isto modo ut defendat propriam vitam non imputabitur ei occisio innocentium existentium in via publica, sive in agro, vel opponentium se fugæ ipsius. Ex his sequitur quod si aggressor in actuali aggressionem ut simul se defendat opponat innocentem aggressor, si aggressus aliter se defendere non potest nisi cum occisione innocentis poterit illum occidere, ut simul occidat aggressorem, nec imputabitur aggressor mors innocentis magis quam si interficeret illum per accidens in bello justo, aut in defensionem civitatis obsessæ contra justitiam. De his legatur Lessius dubio IX.

XII. Ad rationem dubitandi positam a principio respondetur, quod homo tenetur postponere bona temporalia vitæ proximi, quando proximus est in extrema vitæ necessitate

constitutus, et per bona temporalia possit fieri subventio suæ necessitati tamquam per medium ordinatum ad sublevandam illam. Cæterum in casu nostræ difficultatis proximus non est in extrema vitæ necessitate constitutus, si quidem sua malitia, et iniquitate se in illo periculo constituit, et potest etiam sic constitutus libere illud evitare. Unde cum defendendus bona temporalia sua utatur jure suo, aggressor autem nullum habeat jus contra aggressum, imo tenetur secundum jus cessare ab aggressionem, et libere potest cessare ab illa, ideo aggressus non tenetur cessare a defensione honorum magni momenti propter occisionem aggressoris subsecutam ex malitia ipsius.

ARTICULUS VI.

An possit quis in defensionem vitæ proximi, aut bonorum temporalium illius occidere aggressorem?

I. Ratio dubitandi pro parte negativa desumi potest ex historia illa, quæ refertur, quomodo Moyses occiderit virum Ægyptium in defensionem proximi injuriam patientis, et tamen talis occisio fuit illi imputata ad peccatum ut D. Thomas docet ex mente D. Augustini, ut videri potest quæstione LX, articulo IX ad secundum. Confirmatur, quia quilibet tenetur magis prospicere vitæ proximi, quam bonis temporalibus; ergo cum alicui occurrit necessitas defendendi utrumque, et non potest simul illa duo defendere, tenetur magis prospicere vitæ proximi, quam bonis temporalibus alterius proximi.

II. Dico tamen primo: Licite potest quis in defensionem vitæ proximi injuriam patientis ab aggressore

occidere ipsum aggressorem cum moderamine inculpatae tutelæ, et aliis præfatis conditionibus. Hæc conclusio est D. Thomæ supra quæstione LX, articulo VI ad secundum, ubi excusat Moysem a peccato cum occidit Ægyptium, eo quod id fecit in defensionem proximi cum moderamine inculpatae tutelæ: et etiam est sententia D. Ambrosii libro primo de officiis, capite XXXVI, dicens: « Quod cum quis non liberat alium patientem dum potest, tam est in vitio quam qui injuriam facit; » et sic etiam excusat Moysem a peccato; ergo secundum D. Thomam, et D. Ambrosium licitum est in defensionem proximi occidere aggressorem. Deinde probatur ratione, quia supposita malitia aggressoris necessarium est ut vel sequatur mors aggressoris, vel patientis injuriam: sed magis prospiciendum est vitæ patientis injuriam, quam vitæ inferentis illam; et ex alia parte, proximus non potest utramque vitam tueri (ut supponimus) ergo licite poterit aggressorem occidere; nequiquam tamen si utrumque simul potest defendere.

III. Sed inquires, an supposito, quod possit quis defendere sic proximi vitam cum occisione aggressoris teneatur ad hoc.

IV. Dico secundo: Tenetur etiam cum occisione aggressoris defendere proximum. Et ratio est eadem, quam fecimus pro præcedenti conclusione. Probat enim non solum quod potest, sed quod tenetur, quia quilibet tenetur, si potest, prospicere vitæ proximi; ergo dum non potest prospicere utrique vitæ tam aggressoris quam aggressi, tenetur defendere vitam aggressi cum occisione aggressoris. Hæc tamen conclusio intelligenda est quando aggressor non est persona necessaria bono communi, neque ex tali occisione sequeretur magnum nocu-

mentum reipublicæ juxta supra dicta. Hactenus de prima parte dubii quantum attinet ad defensionem vitæ proximi.

V. Circa secundam partem, quantum attinet ad defensionem bonorum proximi duo sunt certa. Primo, quod nullus tenetur bona temporalia proximi defendere cum occisione aggressoris, nam ipse qui injuriam patitur non tenetur, sic bona sua defendere: secundo, certum debet esse quod unusquisque tenetur saltem ex præcepto charitatis bona temporalia proximi defendere in quantum sibi est possibile sine occisione aggressoris. Difficultas igitur est, utrum possit licite defendere bona temporalia proximi cum occisione aggressoris subsecuta, quando aliter illa defendere non potest?

VI. Dico tertio ad istam difficultatem non esse improbableem quod talis non possit defendere bona temporalia proximi cum tam gravi nocimento occisionis aggressoris. Hæc conclusio probari potest primo, confirmatione posita a principio dubii: deinde probatur, quia bona temporalia proximi sive absolute sint magni momenti, sive solum respective, non debent censi esse magni momenti respectu defendentis illa per comparisonem ad vitam aggressoris; tum, quia hæc est superioris ordinis ad bona temporalia; tum, quia quamvis bona temporalia respectu ejus a quo auferuntur sint magni momenti, non tamen respectu alterius proximi volentis illa defendere; ergo, etc. Tertio probatur, nam præceptum charitatis propriæ, et conservationis propriæ vitæ, et honorum temporalium strictiori jure obligat respectu sui ipsius, quam respectu proximi (ut jam diximus) ergo ad plura tenetur homo respectu sui, quam respectu alterius, et sic quamvis possit quis bona sua defendere cum occisione

aggressoris, non tamen bona proximi, quia ad minora facienda obligatur respectu proximi.

VII. Dico quarto: Longe probabilius est quod possit quis in defensionem bonorum temporalium proximi occidere aggressorem. Probatur conclusio ex fundamento opposito alteri fundamento, cui innititur præcedens conclusio, quoniam res quæ magni momenti est absolute, vel respective respectu alicujus proximi injuriam patientis, etiam censetur res magni momenti respectu cujuscumque alterius, qui tenetur ex charitate proximum illum defendere; ergo poterit quicumque in defensionem bonorum proximi aggressorem occidere. Consequentia constat ex dictis supra, et antecedens probatur, quoniam charitas ad hoc inclinatur, et ad hoc obligat ut videlicet necessitas in qua constitutus est proximus censeatur quasi propria cujuscumque, ac si quilibet esset in eadem necessitate constitutus, quamvis non eodem gradu inclinatur charitas ad necessitatem proximi, et ad propriam, sed prius ad propriam: sed necessitas in qua tunc constitutus est proximus est gravis ut videlicet ab eo auferantur bona temporalia magni momenti; ergo talis necessitas debet censi quasi propria cujuscumque alterius proximi in ordine ad subveniendum illi in tali necessitate. Et ex hoc fundamento facile est respondere ad rationes factas pro præcedenti conclusione.

VIII. Dubitabis tamen, an si mulier gravida sit constituta in periculo mortis propter fœtum liceat præbere tali mulieri pharmacum patiatur abortum, et ipsa evadat periculum mortis cum occisione prolis. Partem affirmativam tenent quidam quos refert Lessius dubitatione III, et ratio illorum est, quia in isto casu proles est aggressor contra ma-

trem; ergo in defensionem matris licebit pharmaco occidere prolem. Hanc tamen difficultatem bene dissolvit Lessius, et late, quocirca lectorem remittimus ad ipsum qui dicit tria. Primum est, nullatenus esse licitum tale pharmacum applicare huic mulieri intendendo mortem prolis: et hoc quidem verissimum est; et nos probatum relinquimus in supra dictis.

IX. Secundum dictum hujus auctoris est esse licitum in isto casu præbere hujusmodi pharmacum matri intendendo solum vitam ipsius, et nullo modo volendo abortum prolis, et hoc debet intelligi dummodo fœtus non sit animatus. Et hoc dictum etiam constat esse verum ex dictis supra. Tertium dictum ejus est, non licere id facere si fœtus sit animatus, et præsertim si probabiliter existimatur quod fœtus egredietur adhuc vivens ex ventre matris ita ut possit baptizari. Et ratio hujus est, quia non licet conservare vitam matris cum tam magno dispendio prolis, quale est decedere sine baptismo, et privari beatitudine in sempiternum. Quinimo et si proles non pateretur hoc detrimentum non liceret cum morte illius conservare vitam matris per se loquendo. Nec potest aliquis in defensionem matris prolem occidere, sicut licitum est occidere aggressorem in defensionem proximi aggressi. Et ratio hujus est, quia proles non est aggressor, sed aggressor est infirmitas; unde ridiculum est dicere quod proles est aggressor, et ex hoc respondetur ad rationem in oppositum.

X. Ad argumentum factum a principio respondetur, quod quamvis a nonnullis damnetur factum Moysis, a pluribus tamen excusatur a peccato, ex quibus aliud dicitur Moysen occidisse Ægyptium ex divina revelatione, et jussu Spiritus sancti: alii vero quod titulo justæ de-

fensionis proximi, ut constat ex doctrina D. Thomæ inducta in prima conclusione. Ad confirmationem respondetur, quod quando duo proximi sunt constituti in necessitate, alter amittendi vitam, alter amittendi bona temporalia teneor magis succurrere existenti in necessitate amittendi vitam. Cæterum in casu nostræ difficultatis aggressor non est constitutus in necessitate amittendi vitam, si quidem libere potest cessare ab aggressionem, et sic evadere periculum occisionis propriæ.

ARTICULUS VII.

An liceat aliquando prævenire aggressorem ipsum interficiendo?

I. Ratio dubitandi est a parte affirmativa, quod non potest quis certus esse moraliter, quod invadetur a Petro, verbi gratia, nisi Petrus signis, aut actibus exterioribus id significaverit; sed ex hoc ipso Petrus incipit esse aggressor; ergo qui sic certus est moraliter quod invadetur cum nullum aliud supersit medium poterit illo uti ad sui defensionem. Probatur consequentia, quoniam postquam Petrus aggressor est initiative, aggressus utens illo medio necessario simpliciter ad defensionem sui habet rationem defensoris meliori modo quo potest.

II. Hoc dubium pertractat in præsentem magister Bagnez in quo tria dicit. Primum est, quod simpliciter loquendo nullus potest prævenire aggressorem suum; prævenit autem quis invasorem quando non est certus moraliter, sed solum timet se invadendum ab illo. Tunc etiam si alias ad defensionem propriæ vitæ nullum aliud supersit medium nisi occidere invasorem antequam actu invadat, non erit licitum. Et ratio